



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Germanica

Châteillon, Sébastien

[S.l.], 1558

Capvt XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54866](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54866)

test . sed si quis id scire velit, expectet, donec ipse sit id. Cæterum credo eius externam obuersationem atque mores esse tales, vt quicquid fieri oportet & cõuenit, id cadat in eum: quicquid verò fieri non oportet aut conuenit, sed mera hominis libido est, dicentis, Sic volo, sic iubeo: id non cadat in eum. Verùm homo multa sibi persuadet oportere & debere fieri, quæ tamẽ falsa sunt, nec fieri debent. Si hominem impellit sua superbia, auaritia, aut aliud quodpiam vitium & improbitas, ad aliquid faciendum, aut omittendũ, dicit id necesse esse, & debere fieri. Si eum impellit hominum fauor & amicitia, aut sua ipsius libido in aliquam, aut ad aliquam rem, aut ab eadem abstrahit, dicit id oportere & debere fieri. Atqui hæc sunt omnia falsa. Quòd si homo nullum aliud haberet. Oportet aut debet fieri, nisi id ad quod eum Deus conseruator noster & veritas conuertit atque impellit, haberet interdum plus negotij atque operis, quàm nunc habet.

*Homo
bonum
uertit
in malũ*

*Mundus
est furio-
sus.*

Dicitur, Diabolum, eiusque spi-
ritum aliquando aliquem ho-
minem ita possidere atq; obtinere,
vt homo nesciat quid faciat aut o-
mittat, sitque sui ipsius impos: malo
spiritu ei ita imperante, vt in eo, cū
eo, per eū, & ex eo faciat aut omit-
tat, quicquid velit. Hoc quidē quo-
dammodò verum est, q̄ totus mun-
dus possidetur atque agitur à diabo-
lo, videlicet mendacijs, dolis, cæte-
raq; improbitate & vitijs, quæ sunt
omnia diabolica. Si quis igitur Dei
spiritu ita possideretur atque agere-
tur, vt nesciret quid faceret aut non
faceret, essetque impos sui, vt volun-
tas spiritusque Dei moderaretur ei,
ageretque & faceret aut omitteret
cum eo, & ex eo, quicquid vellet, &
quomodò vellet, is esset vnus illorū
hominum, de quibus dicit Paulus:
Ro. 8. c qui Dei spiritu feruntur & aguntur,
hi sunt Dei filij, nō legi subiecti. Et
Matth. quibus dixit Christus: Non vos ij
10. b estis, qui loquimini, sed spiritus pa-
tris vestri loquitur in vobis. Sed ego
metuo, ne sint centum milia, vel po-
tius innumerabiles, qui à diabolo
agantur, cū intercā ne vnus qui-
dem

dem Dei spiritu agatur: id quod ex eo fit, quòd homines maiorem cum diabolo, quàm cum Deo, habent similitudinem. Egoitas & ipsitas sunt omnino diaboli, ideoq; diabolus est. Iam vno aut altero verbo explicari possunt omnia, quæ hisce tot verbis dicta sunt: videlicet, Esto totus & planè sine teipso. Tamè pluribus illis verbis magis et meliùs declarata, demonstrata, & distincta res est.

Nunc dicet aliquis: Ego sum ad *Iustitiæ* ista vniuersa imparatus, itaque fieri *assequē-* istud in me non potest: atq; ita adipi- *dæ ratio.* scuntur & inueniunt semper homines excusationem. Ad quod responderi potest in hunc modum: Quòd homo paratus non est, aut non paratur, eius certè culpa est. Nam si homo nihil alioquin aliud curaret, aut ageret, nisi vt præparationē in omnibus rebus perpenderet, & vt præpararetur, operam daret, certè Deus eum satis præpararet, tantumq; diligentia, amoris, & studij ad præparationem adhiberet, quantum ad infundendum in eum, iam autè præparatum, illa bona. Tamen sunt aliqua viæ, quæ hûc ducant, quemad-

C modum

T H E O L O G I A

modum dici solet : Si quis vult artem aliquam discere , quam nesciat, ad eam discendam quatuor requiruntur. Primum, quod omnium est maxime necessarium , est magna cupiditas, diligētia, & assiduum studium, quo id fieri possit. Hoc si abest, fieri res nunquam potest. Alterum est, vt aliquid habeas, quo possis discere. Tertium, vt præceptorem accuratè & diligenter intuearis, & attendas, atque colas : ei credas & obedias , & eum imitere. Quartum est, vt ipsemet etiam rem aggrediare atq; exerceas. nam si horum vnum abest, nunquam possis artem vel discere , vel adipisci. Eadem est ratio præparationis . ac qui primum habet, videlicet diligētia, & assiduam seriamq; finis adipiscendi cupiditatem, is quærit & inuenit omnia , quæ ad eum pertinent, conducunt, & vtilia sunt. Qui verò studium, amorem & cupiditatem non habet, is etiam non quærit, & porro non inuenit: manetq; certè imparatus , nec vnquam peruenit ad finem.

C A P. XXI.

Tra